Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster





Sanctorum Cassiani martyris, nec non et Ingenuini Confessoris costructæ Comitatum quondam Welfoni commissum ab eo scilicet termino, qui Tridentinum a Brixinensi dividit Episcopatum, quousque longissime porrigitur in valle Eniana, cum Clausa sub Sabione et omni usu jureque ad eum legaliter pertinente, in proprium tradidit. Data septimo Id. Junii Anno Incarnationis dominicæ 1027. Indict. nona. Regni Chuonradi secundi Anno tertio, Imperii autem ejus primo. Actum Stegon.

Observanda hic sunt aliqua. I. Conradus Imp. Romæ coronatus die 26 Martii, in quem eo anno Pascha cadebat; hinc in Apuliam processit, Normannisque ibi habitandi licentiam dedit copiam fecit, teste Wippone: inde mox in Longobardiam reversus die ultima Maji jam Brixiæ ~~dedit diploma~~ fuit, deditque Ecclesiæ Tridentinæ diploma Add. 101 citatum. Inde, ait Otto Fris. Hist. l. 6. c. 29, per Pyrenæum in Franciam rediens denuo sibi ducem Ernustum privignum suum consilio Comitis Werentharii sibi rebellare nitentem audivit. Pyrenæum ~~mont~~ montem ~~est~~ olim dictum fuisse nostrum Brennum; observavimus ad c. VII, Add. 20. Eundem hic intelligi, ex Hermanno Cont. ad an. 1027; et ex ipsomet Ottone de gestis Frid. l. 1, c. 1, Baioariæ civitatem Brixinoram in ipso Pyrenæo haud procul a valle Tridentina sitam, testante, indubium fit. ~~conjicio, ubi ad an. 1027. Conradus Rex subacta Italia tota reversus, in Alamannia apud Ulmam placitum habuit, ibique ad deditionem Ernustum ducem privignum suum et Welph Comitem (Altdorfensem, Ernusto adhærentem) cum aliis accipiens, per aliquot tempora exilio deputavit.~~ Ergo ex Italia recta in Alemanniam, et quidem per Tirolim profectus est. Hac transiens Ecclesiæ Brixinensi donavit Comitatum ~~quondam Welfoni II Comiti Altdorfensi et Ravensburgensi commissum~~ Noricæ vallis, ~~scilicet~~ a Sabione usque in Oenanam protensum, cui quondam Guelfo II Comes Altdorfensis ac Ravensburgensis præfectus, nunc autem ~~propter rebellionem~~ eo quod Ernesto rebelli adhæsisset, exilio deputatus erat, donavit die 7 Junii. Locus dati diplomatis Stegon in Tiroli certe quærendus est. ~~Viam~~ An ipse sit Stein castrum in monte Ritten, an Stegen in valle Pustrissa; dæsito. Ex hoc loco in vallem regia a Bauzano Brixinam olim non per angustissimam vallem, qua hodie, sed per montem Ritten ducebat: id quod tum ex ipsius Conradi II diplomate Add. 102, tum ex vita B. Hartmanni, tum ex aliis documentis probari posset. Locus præcipuus, a quo tota dynastia nominatur, est Stein auf dem Ritten, hodie quidem destructum. Qui antiquas nominum variationes observaverit, Stein et Stegon idem esse, ~~facile~~ haud difficulter advertet. ~~II.~~

/castrum

II. Ex monte Rittena in vallem Noricam seu Vipitenam,